

CONCIO V.

DOCUMENTA ET MYSTRIA.

I. Quomodo ait Petrus: Reliquimus omnia? — II. Cur resurrectio mortuorum regeneratio dicitur? — III. Quales erunt Christi et apostolorum throni? — IV. Quomodo apostoli judicabunt quadruplex judicium? — V. Qui judices assessores? — VI. Quinam ab illis judicandi? — VII. Quænam merces relinquentium omnia?

THEMA.

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. XIX.

Sapientis verbum est: *Accipite disciplinam meam et non pecuniam: doctrinam magis quam aurum eligit.* Prov. VIII. Quod verbum, si quis unquam, Christus dicere potest, cuius omnes sermones aurei et divini sunt: et propterea sive staret, sive ambularet, circumdabat eum turba, ut verba ejus audiret, imo ex ore ejus raperet, et memorie commendaret. Quemadmodum enim aurifabri scrobem auro, vel argento detractam minime negligunt, sed in vas subjectum colligunt: ita, auditores, faciendum nobis, cum audimus verba Christi: nihil ex iis negligendum, omnia colligenda sunt; suo enim tempore sua nobis comoda ferent. Fecit hoc inter alios S. Paulus, qui verba Christi ad se dicta: *Saule, Saule, etc.* alta mente reposuit, et sedulo ruminavit, nec timuit repetere coram regibus et principibus. Igitur et nos de hodierno evangelio scrobem auream et argenteam nobis colligamus.

I. Quomodo potuit dicere Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia,* cum pene nihil haberet? Respondeat primo, Theophylactus: « Tametsi, inquit, videatur Petrus non dimisisse magna aliqua utpote pauper, sed disce, quod re ipsa multum etiam ipse reliquerit. Etenim et parvarum rerum magna tenemur affectione: sed et omnes voluptates Petrus reliquit, et cum parentibus amorem carnis. Illæ enim affectiones non solum contra divites, sed etiam pauperes militant. » In vita S. Gregorii papæ cognomento Magni legimus eremitam, qui pro Christo omnia reliquerat, revelationem accepisse, quod in celo iuxta Gregorium papam mansionem suam habiturus esset. Ingequit eremita, quod ob paupertatem suæ studium, non plus præmii accepturus esset, quam Gregorius, qui maximis abundaret divitias. Dum ergo hæc saepius mente revolvit, vocem audivit talem: « Cum divitem possessio divitarum, sed cupidus faciat, cur aedes paupertatem tuam Gregorii divitias comparare qui magis illum catum, quem habes, quotidie palpando diligere comprobaris, quam ille tantas divitias, quas non amando, sed contemnendo, cunctisque liberaliter largiendo

dispergit? » Emendatus hac voce monechus, rogare Deum coepit, ut vel cum Gregorio præmium capere posset. Videmus ergo res viles etiam magnæ sœpe affectu diligia pauperibus.

Resp. secundo Origenes, hom. im Matth. « Etsi, inquit, Petrus minima cum fratre reliquit, sed non minima sunt vestimenta quæcumque Deum considerantem, quoniam ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt: ut etiam si multis habuissent possessiones, omnia sine dubio reliquisserint, nec ab eis nullo modo retenti fuissent aut impediti, etc. » Loqui Petrus se sciebat cum eo, qui cor et intentionem nosset, et pro opere acceptaret: quoniam ergo intentione et affectu omnia, si haberet, relinquere paratus erat, omnia se reliquise ait. Ita Gen. XXII. dixit Deus Abrahamo volenti immolare filium suum: *Quia fecisti rem hanc, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me, etc.* Pepercera sane Abraham filio suo, jussu Dei, nec ei quidquam mali intulerat: quomodo ergo Deus ait: *Non pepercisti filio tuo?* Quia nimis Deus viderat cor Abraham paratum, quantum in ipso erat ad filium actu immolandum, ideo voluntatem ejus pro opere reputavit et premiavit. Eodem modo Christus dicturus est electis: *Esurivi, dedistis mihi manducare, etc.* licet plurimi electorum nihil omnino habuerint, quod pauperibus erogarent. Videt enim illorum voluntatem et desiderium paratissimum ad erogandum, si quid eis suppeteret.

Resp. tertio, S. August. in Psal. CIII. conc. V. *Multum dimisit, fratres mei, multum dimisit, qui non solum dimisit, quidquid habebat, sed etiam quidquid habere cupiebat:* et S. Gregor. hom. V. in evang. Certe nos, inquit, et habitat cum amore possidemus, et ea, quæ minime habemus ex desiderio querimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimisit, quando uterque etiam desideria habendi dereliquit. Poterant apostoli sperare in sæculo dignitates, opes, delicias, tametsi eas nondum habebant: omnia ergo ista censentur reliquise. Idem dicendum de religiosis.

II. Cur resurrectio mortuorum vocatur regeneratio? Resp. primo, quia est similis primæ generationi, et nativitati, qua ex terra nati sumus. Duplicem vitam habet homo temporalem et æternam: proinde duplē: etiam nativitatem, primam, qua nascitur in hunc mundum, secundam, qua nascetur in vitam immortalem, resurgendo in extremo die judicii. Ad utramque vitam ex terra nasci dicitur, ad hanc temporalem, quia de terra corpus ejus formatum est: ad illam immortalem, quia de sepulcro quasi de ventre terra rursum egreditur, qui cum moritur in uterum illum velut semen recluditur suo tempore gig-

nendus. In utraque nativitate, terra mater nostra est, Deus vero pater, qui uti initio mundi extraxit hominem de terra ad hanc vitam: ita in fine mundi extrahet omnes mortuos de sepulcris. Dicimus ergo hinc dupli ratione nos terræ filios esse, quod utinam nunquam nobis excideret. S. Aug. I. VIII. de civ. c.XIII. refert fabulam ethnicorum de Antæo, quem fixerat terra filium, e gremio ejus natum, qui omnes secum luctantes vincebat, ex eo quod in matrem suam terram vel projectus vel se demittens vires a matre resumebat; quibus roboratus quemvis hostem superabat. Sciens illud Hercules, cum eo in arenam descendit et miserum Antæum in sublime extulit, ne contingere matrem posset, atque inter brachia sua in aere constrictum interemis. Studium hoc diaboli est, ut terræ filios in sublime efficeret, et a matre nostra terra quam longissime separat, persuadendo nobis, longe a nobis mortem distare: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii, etc.* nobilis es, dives es, juvenis et fortis, gratiosus apud homines, etc. inde in superbiam et presumptiones aliaque plurima vita nonnemo elevatur et misere a dæmonie jugulatur. Nos ergo si sapimus, ne patiamur nos in sublime tolli, locum nostrum ne dimittamus, terram nostram matrem mente contingamus, pulvrem nos esse consideremus, dicamusque in nobis: Quid superbis terra et cinis? Quid pro fluxis rebus, quas cras es relicturus, vane conturbaris? etc.

Secundo, quia similis et spirituali generationi per quam Christo in baptismo renati sumus, in hac enim anima nostra absterea est ab omnibus sordibus seu culpe, seu pœna, vestita est ueste gratiae gratiosissima, factaque est nova creatura et quasi angelus quidam, ita et electi in generatione altera resurgent impolluti et ab omni miseria seu corporis, seu animæ liberi et immunes, insuper ueste gloriae induiti, eruntque deinceps sicut angeli Dei in celo: *Et ipsi populusejus erunt,* inquit Joannes, Apoc. XXI. Et ipse Deus cum eis erit eorum Deus et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, etc.

III. Quales erunt throni Christi, et sedes apostolorum in judicio? Resp. valde probabile esse, thronum Christi fore nubem pulcherrimam, et splendidam instar solis: similiter sedes apostolorum. De Christi throno scribit Joannes, Apoc. XIV. *Et vidi, et ecce nubem candidam: et super nubem sedentem similem Filio hominis, et habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falcam acutam.* Fax acuta judicem prodit, qui universum mundum demet: et triticum quidem

congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Nubes similiter denuntiat electis salutiferam illam pluviam: *Venite benedicti: reprobis vicissim fulmineam illam grandinem: Discedite a me maledicti.* Quod vero nubes futura est candida, indicat candorem judicis, atque in judicio illo nullum fore locum fucis et prætextibus, sed omnia manifesta et aperta futura.

IV. Quomodo apostoli judicabunt? Respondeatur quadripliciter prese mundum judicari. Primo, judicio comparationis, quo uno altero melior vel deterior judicatur, ut cum Ninivitæ, vel regina austri surgent in judicio et condemnabunt incredulos: et hoc judicium commune et sanctis et reprobis. Secundo, judicio approbationis, quo sententia Christi judicis tam quæ in reprobis, quam quæ in electos lata approbat: et hoc commune est omnibus beatis, qui Apoc. XIX. simul exclamant: *Vera et justa judicia sunt ejus qui judicavit de meretrice magna, etc.* Tertio, judicio assessmentis, quo judicis assessores una cum ipso causas discutiunt, et a judice interrogati suffragia sua ferunt, et sententias dicunt: et hoc congruit et promittitur hic apostolis. Quarto, judicio auctoritatis, quod solius Christi est, qui sententiam fert et pronuntiat, mandatque executioni, D. Thom. III. p. q. LXXXIX. addit. a. 1.

V. Quinam judicabunt judicio assessmentis? Respondeatur, ex communi sententia pp. Augustini, Gregorii, Bedæ, Origenis, glossæ, D. Thomæ III p. q. LXXXIX. addit. a. II. omnes illos cum apostolis judicatores, qui apostolicam vitam secuti adeoque propter Christum omnia sua reliquerunt. Colligitur ex verbis Christi et indicatur Job, XXXVI. cum dicitur: *Judicium pauperibus tribuit.* Nec immerito primo: *Ut sic, qui propter Christum se humiliat, exaltetur,* inquit D. Thom. loco citato: secundo, quia pauperes omnibus renuntiantes, soli Christo adhærent, et a justitia non deflectunt, ideo sunt ad judicandum idonei; quæ est altera ratio Divi Thomæ. Tertio, quia cum pauperes deferendo omnia sua pateant hominum calumniis et oppressionibus (siquidem non habent quo se defendant) volunt hanc eis promittere protestatem Christus; ut caveant potentiores nocere Christi pauperibus, quos audiunt judices suos futuros. Hæc ergo promissio est eis pro mero vel lorica, vel melius pro salvo conductu, seu ut vocamus, salva guardia.

VI. Quinam ab his judicandi sunt? Respond. omnes reliqui Christiani. Duodecim enim tribus Israel universam Ecclesiam hic significant, quemadmodum et domus Jacob, Lucæ I. *Regnabit*

CONCIO V.

in domo Jacob in æternum. Ut enim domus Jacob ab ipso per duodecim ejus filios propagata est et aucta: ita Ecclesia a Christo per duodecim ejus apostolos. Rursum, quia duodenarius est numerus perfectus et symbolum universitatis, ideo universam Ecclesiam indicat judicandam judicio scilicet discussionis. Nam qui non credunt, jam judicati sunt, id est, jam destinati ad peñam. Discimus hinc honorare personas religiosas, et bene de illis sentire, utpote, quas audimus, aliquando judici nostro assessuras, et suam in nos sententiam dicturas. Isaacus Comnenus orientis imperator, cum monasteriorum bona fisco addixisset, et ex stipe monachos vivere coegisset, fulminum ictibus in se de cœlo ab irato Deo jactis, coactus est ponere purpuram et monasticum habitum assumere, siveque inter monachos, servilia munia obire, qui prius vexavit monachos, Curopalates, apud Baronium, anno 1057. Ita religiosi: Erunt capientes eos, qui se ceperant, et subjicient exactores suos, Isaiae XIV. in die judicii.

VII. Quænam illa merces relinquentium omnia: *Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit?* Resp. esse duplum, unam hujus vitæ, alteram futuræ. Cum enim bene noverit Dominus plurimum ad laborem nos excitari spe præmii, non satis existimavit, quod promitteret suis operaris salarium in fine diei, nisi etiam promitteret sustentationem interim et mensam. Anima enim nostra duplum habet statum, alterum in corpore mortali: alterum post mortem. In primo arat et seminat, laborat, pugnat, vincit: in altero colligit laborum suorum fructum, et coronam victoriarum: sed ne spiritus et corpus in laboribus presentibus deficeret, opus erat, aliquos etiam fructus præsentes colligere, et præmia recipere victoriarum. Ergo Christus in hoc sæculo dat religiosis centuplum, ut expresse scribit S. Marcus: in altero vitam æternam. Non deserunt religiosi, vel certe non debent deserere res terrenas, ut

easdem in hoc mundo recipient multiplicatas (alias enim non tam deserere, quam querere terram censendi forent) nihilominus tamen Christus suam liberalitatem erga ipsos in hoc sæculo ostendit, reddens ipsis pro aliquibus rebus a se reliotis centuplum in eodem genere, ea tamen ratione, ut id ipsis non nocere, sed prædolere possit. Pro una enim domo, aut agro relieto, dat eis centum domos, vel agros, non quoad dominium (quia hoc eis obesset plus quam prædolere), sed quoad usum ad sublevandas eorum necessitates; vel si non dat redditus annuos, dat saltē elemosynas nunquam deficiente. Similiter pro uno patre, vel matre, fratre, vel sorore, dat centum, qui exhibeant eis officium patrum vel matrum, affectum fratrum vel sororum. Nemo igitur invideat monasterii et monachis suos redditus vel divitias, a Christo ista possident et quidem absque læsione voluntaria paupertatis. Quin potius conemur, ut etiam nos hujus præmissionis participes fiamus, quod fieri posse ostendit nobis apostolus, I. Tim. IV. cum ait: *Exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est? Pietas autem ad omnia utilis est, præmissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* Si enim magni principes præter magnum stipendum quod suis aulicis dant in fine anni, dant quoque ordinariam quotidie portionem pro ipsorum mensa et equorum pabulo, pro cujusque officio vel dignitate, cur non id faciat Deus? Vel enim dabit opes et subsidia copiosa, vel dabit eis industriam ad bene dispensandum id quod habent modicum, ut sufficiat, vel certe defectum compensabit spiritualibus bonis, quibuscum ei bene sit etiam in inopia.

Ergo, auditores, ut etiam nos centuplum capiamus in hac vita, et millecuplum in altera, pietatem sectemur et quemadmodum Hercules clavam suam nunquam deposuisse fertur, ita pietatem amplectamur, ut nunquam deponamus.

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

EVANGELIUM. Luc. II.

Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysis, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: *Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur;* et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turram, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel; et Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo; et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace:* quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuæ Israel.

CONCIONES.

- I. Cur Christus præsentari in templo, et Deipara purificari voluerit.
- II. Quæ polissimum primogenita Deo offerenda.
- III. Cur hominis primogenitum, quomodo Deo offerendum.
- IV. Quousque voluntas nostra conformanda sit diuinæ.
- V. Senes instruuntur exemplo Simeonis.
- VI. De puritate doctrinæ catholicæ et sectarum impuritate.
- VII. De cereorum significatione.

- VIII. Documenta.
- IX. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Processio hodierna ordinatur.
- II. Varii virtutum cerei variis distributi.
- III. Mutua conjugum officia a columbis præscripta.
- IV. Turtures christianum hominem instruunt.
- V. Quarum rerum nos admoneant cerei sacri manibus gestati hodierna die

CONCIO I.

CUR CHRISTUS PRÆSENTARI IN TEMPLO ET DEIPARA PURIFICARI VOLUERIT.

- I. Ut doceret obedientiam. — II. Ut doceret humilitatem. — III. Ut doceret gratitudinem. — IV. Ne cui scandali occasionem præberet. — V. Ut docerentur pueri a teneris Deo servire. — VI. Ut docerentur studere puritatem.

THEMA.

Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. II.

Conveniunt ss. patres neque Christum neque ejus matrem legibus illis comprehensos fuisse,

V. PARS FESTIVALIS.

quæ in hodierno allegantur evangelio; siquidem Scriptura non obscure illos eximit. Lex prior erat, ut: *Mulier, si suscepto semine peperit masculum, immunda esset, etc.* quæ habetur Levit. XIII. sed hic clare excipit Deiparam, quæ non suscepto semine, sed de Spiritu sancto concepit filium: altera erat: *Omne masculum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, etc.* quæ habetur Exod. XIII. sed hic excipit Christum, qui dum nascetur, claustrum virginitatis non violavit, ut Ecclesia canit et semper docuit. Cum igitur o Deipara, nil tibi et filio tuo sit cum istis legibus, quo progresseris cum illo, mulier amicta sole? Cur te purificatum, illum is oblatum? Audiamus.

I. Ut docerent nos obedientiam. Cum enim